



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 26. in peccatores recidivos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

rudiores jumentis atdiamus. Denique non erubescamus esse juxta votum Augustini, & exemplum regij Pfaltis *jumenta & asini Domini*, ut simus fideles Iesu crucigeri at-

que *Christophori*, cum eoque æternos in Ierusalem cœlesti adæamus & canamus triumphos.

PHILIPPICA XXVI.

In peccatores recidivos.

DOMINICA PASCHÆ,

Surrexit, non est hic. Marci 16. v. 6.

S. I.
Cur terræ
motus in
paschate.



Ogitabam equidem Philippicâ superfedere hodie, neque festivissimo hoc die, quæ Gregorius Nazianzen' dierum regē, Ignatius Martyr dierum omnium eminentissimum, Laurentius Justinianus diem præclarū, & celebrem, excelsiorē cunctis, sanctiorē universis, Gregorius Nyssenus festum universale, cui supra alios dies Dominus benedixit, faustissimis nominibus appellant, infestum aliquid dicere. sed requiem non indulgit apud Clarævallis Bernardus, qui aculeo suo mentem, ac linguam pupugit, atque suam illam in peccatores recidivos philippicam, quam ipse hac eadem solennitate pro concione dixerat, repetere jussit, sermonem fore dictitans de tempore, si ad salutarem animorum motum fiat, & terræ motui hodie non correspondeat. quid enim? an non paschalis lætitia ab insolenti motu sumpsit exordium: *terræ motus factus est magnus!* cur concussio, tremor, & tumultus in paschate? *modò terræ motus magnus* (exclamat Chrysologus ser. 74.) *ò si tunc* (in paradiso cum ad vetiti pomi esum tentaretur Eva) *vel levis turbo ar-*

borem mortiferam dejecisset! ò si nebula fumus mulieris illius tenebrasset aspectum! - sed vitijs semper serviunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis; virtutibus verò austera & fortia sunt amica, si ergo austerrum aliquid hodie cum Bernardo dixerò, virtutibus Auditorum meorum favere censebor. Cessit paschalis terræ motus in occasionem, & argumentum festivitatis, ac lætitiæ, inquit Procopi', fortè & terror, quem incutiam, meus in lætitiæ cedet, argumentum. Age ergo Bernarde, quidquid jubes, suggere, ecce ego vox tua & tuba tua, referam fideliter, quæcunque svada tua mellea non sinè aculeo svaserit enuntianda.

Surrexit, non est hic. Quòd de Christo Evangelista dixit, de Christianis multis hodie dici potest, non tamen sicut de Christo dictum est; hic enim resurgens jam non moritur, illi verò cum Lazaro ad funus redeunt & sepulchrum. Surrexit hic, iste, ille peccator, & non est hic in telonio avaritiæ, in cæno luxuriæ, in pinnaculo superbiæ, in campo martio iracundiæ, in fime-to acediæ, in ceto seu ventre gulæ, in ossuario invidiæ, non est hic in popinis, in prostibulis, in medio so-

S. 2.
Inconstan-
tia multo-
rum tem-
pore pa-
schali.

cietatis pravæ; die sequenti paulum de fervore remittit, per fenestras prospicit, litterulas acceptat & mittit, mœnia obambulat; tertiâ die hæret prope sepulchrum. primâ die cantat *gloria patri*, secundâ & *filio*, tertiâ & *Spiritui Sancto*, post hæc: *sicut erat in principio*. primâ die orat. *beati immaculati in via*. secundâ: *legem pone mihi Domine*. tertiâ: *defecit*. quartâ *mirabilia*. denique itur in antiquam vix actopaschate sylvam, & hæc via rectissima ad damnationem certissimumque reprobationis est indicium. Dû arca Domini Jordanem transfret, steterunt aquæ, ubi transiit, reversæ sunt in locum pristinum, inque mare mortuum decurrerunt. Aquæ multæ, populi multi stant in transitu Arca, & miraculum sui faciunt in arrepto virtutis proposito; at transeat Arca, desinat pascha, relabentur in lubricitates pristinas, rectoque cursu mare mortuum petet. ad amarum enim æternæ mortis mare properat, quisquis in veteres ultro relabitur errores. Quoties lapsus suum Saul agnovit, nec tamen stare in virtutis & æquitatis semita curavit, quoties ingemuit: *Peccavi, revertere fili mi David, nequaquã enim ultra tibi malefaciam, eò quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie; apparet enim, quod stultè egerim, & ignoraverim multa nimis, nec tamen malefacta, stultiatque suas seridè posuit, depositus idcirco regno, victorijs, felicitate, vitâ, & de scelere in scelus ruere permittus, Loquatur Basilius in illa Saulis verba: adducite mihi psalterem: Ecce, inquit, ut ad se rediit, hastam vibrat, ut Davidem interimat, quasi ad mentem sobriam ideo se recepisset, ut iterum sæviret. Reprobo Sauli permulti hodie similes sobriam mentem, divinamque gratiam idè recipiunt, ut turpius pro-*

Jof. 3. v. 16.

1. Reg. 26.
v. 21.

digant. Semei ob maledicentiam suam læsæ Majestatis reus veniam quidem impetravit, & habitare Hierosolymis permittus est, sed ut inde nunquam exiret. *Bonus sermo*, ait Semei, *sicut locutus est Dominus meus Rex, sic faciet servus tuus*. at post triennium dum fugitivos servos insecutus Solymâ excessisset, illico coram Salomone obruncatus est; archetypon vivum eorum, qui in gratiam quidem recepti sunt, sed eâ conditione, ut in visione pacis permaneant, quâ si nescio cujus emolumentum proprii specie illeæi exire præsumant, mortis sunt victimæ.

Experientiâ plurimorum constat non æternam tantum, sed & temporaneam ac improvisam incurrere mortem, qui in pristina scelerata relabuntur. Sunt enim viri sanguinum, rei corporis & sanguinis Christi, sunt viri dolosi, qui non dimidiant dies suos. exemplum non ita vetus est, quod ex Paoletto narrat Kifelius de adolescentibus petulcis, qui quod die sacerrimo paschatis sacrâ synaxi refecti, nihilominus eodem vespere popinam adissent, ab erumpente è faucibus sanguine suffocati subitanè morte interierunt. Decidit autem eadem horâ grando terribilis cum serpentibus, cujus supplicij causam vir quidam sanctus rescire desiderans, ab aspectabili Angelo edoctus est: *in die sancto paschæ communionem receperunt, & postmodum contra seipsos, & sacramentum Altaris in potu & luxurijs deliquerunt*. en ut viri sanguinum in sanguinibus suis pereant, & non dimidient dies suos. *Inde sumenda nobis exempla, nè ad deploratas revertamur peccatorum illecebras*, inquit S. Cyrillus Alex. l. 9. in Ioan. Narrat Thomas Cantipratanus testis oculatus penitentium suorum unum aliquem à voluntaria mollitie in paschate abso-

3. Reg. 2. v.
37.S. 3.
Recidivi
intempe-
stivâ ple-
ctuntur
morte.Alv. 2. ccc.
22.

Delrio I.
14. c. 4.

absolutum, quam absolutionem importunè à Thoma extorferat, cū secundo paschatis festo in idem flagitium relaberetur, horrendum exclamâsse: *Vindicta Dei super me, vindicta Dei, vindicta Dei super me!* atque inter hæc lamenta infelicem animam expuisse. Argentorati decem hæretici illorum de fæce, qui se à quinto Evangelista *Evangelicos* vocant, per lustrationem candentis ferri hæreseos convicti, ad incendium damnati sunt. Unus eorum à Nobili Catholico hæcè verbis increpitus & salubriter commotus: *miserrime respice, nè de igne eas ad ignem.* ejuravit itaque hæresim sectarius & ecce ambusta manus è vestigio cælitus fanata est. dimissus rediit ad uxorem, quæ increpans virum, levitatem animi abjecit, in que errores pristinos impulit. Verum ut resumpsit errorem apostata, protinus ignis cælestis & illius & uxoris manum adedò ambuffit, ut cum domi vociferari non auderent, in sylvas profugi tanquam lupi ulularent. Quo clamore proditi, & in civitatem retracti, in ignem nondum planè sopitum, quo ceteri novem conflagrârant, injecti sunt. Non nisi ignibus digni sunt, qui fomitem inconstantia alunt in pectore, & fumum vanitatis ostendunt in opere.

Turpe est mentiri hominibus, turpius Deo: *mentientur tibi inimici tui* ps. 65. v. 3. & ps. 80. v. 16. *inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in secula.* in quæ eleganter S. Augustinus: *qui sunt inimici? canis reversus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti, hoc est, inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in secula, non intelligo nisi ignem æternum, de quo dicit: ignis eorum non extinguetur.* Alapam pro mendacio impingunt homines, Deus verò ipsa capita men-

dacissimorum nebulonum conterit, & nè capillo eorum quidem parcit: *Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis* ps. 67. v. 22. in delictis perambulant, qui in *vitiosum* priorum flagitorum *circulum* redeunt, & horum capita non tantum Deus vindex confringit, sed neque capillum inultum esse finit. capillos suos Samson perdidit, quia tertium fallaci Lenæ credidit, in capillis Absalon perit, quia in priores toties nequitias, quarum veniam optimus parens gratosè dederat, quasi paternam gratiam pili duceret, turpiter rediit. Nec bonus pilus in ijs omnibus est, qui pro re nihili pristinis flagitijs consensum præbent.

Recogitarent utinam recidivi gravissimam sententiam eximij pijs- simique Theologi Molinæ *to. I. q. 9. de penit.* unum recidivæ peccatum par esse omnibus antè remissis sceleribus, ità ut si centum millia, aut centies millena millia, imò millies millena millionum millia peccatorum lethiferorum in aures confessarii deposuisses, ab ijsq; absolutus esses, unicum post acceptam ritè absolutionem denuò patratum, priora omnia enormitate sua adæquet. probat id servi debitoris, quem Matthæus c. 18. describit, exemplo; is enim licèt debitorum omnium remissionem accepisset, *serve nequam omne debitum dimisi tibi*, nihilominus quòd novo sese rursus debito obstrinxerit, multam eandem subiit, quam pendere debuisset, si nullius remissionem debiti impetrâisset. Cogita *gravio- rem culpam esse post veniam* (verba Chrysofomi) *renovatum vulnus pejus dolere post curam, molestius hominem sordidari post gratiam.* Pro-pugnant Molinæ sententiam & gladiifer Paulus, & claviger Petrus; hic

§. 4.
Unū reci- divæ pec- catum om- nibus alijs gravius.

Chrysof. de lapsu primi ho- minis.

quidem indubitata afferens; melius erat illis non cognoscere viam iustitiae, quam post agnitionem retrorsum reverti. gravius ergo peccat recidivus, quam qui poenituit nunquam; sicut aptior regno Dei est, qui manu aratro non applicuit, quam qui respicit postquam applicuit. Paulus vero relapsus adeo enormem esse docet, ut veniae locus vix superfit: *impossibile est eos, qui prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam.* Cur impossibile dicit Apostole? respondet pro Paulo Macarius hom. 2. quia in profundissima peccata delabuntur recidivi, quae plane destruunt pacem cum Christo, & quasi quandam necessitatem peccandi inducunt. Permittuntur recidivi iusto Dei iudicio in graviora semper scelera proruerere, ut thesaurizent sibi iram in die irae & revelationis iusti iudicij Dei. Minatus id Deus est. Ezech. 3. v. 20. *Si conversus iustus a iustitia sua fuerit, & fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo, ipse morietur, in peccato suo morietur.* offendiculum ponere, ait Gregorius, est nolle a peccato liberare. *Audis?* inquit Bernardus super verba Apostoli, *recidere, quam incidere esse deterius.* Fiet filius gehennae multipliciter, qui post indulgentiam delictorum in easdem denuo sordes incidit; quasi dicat mellistuus Doctor, infernum ordinarium plectendis recidivorum flagitijs non sufficere, sed novo & acerbiori opus esse. hinc illa tam crebra Salvatoris monitio: vade jam amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.

§. 5.
Recidivus
væ, in fi-
gura Soly-
mæ dicitur.

Miserimus recidivorum status eleganti typo expressus est apud Ezechielem c. 16. v. 6. sub figura impiæ solymæ, quæ iisdem toties peccatis se obstrinxerat: *transiens per te, vidi te conculcari in sanguine tuo, conculcatur recidivus a*

dæmonibus, conculcatur a proprijs concupiscentijs, conculcatur a bestijs terræ in sanguine suo, *in peccatis suis*, inquit Origenes, vel quod longè probrosius est, conculcatur in sanguine Christi, quo prius ablutus, ornatus, faginatus est; transit benignissimus Salvator in hoc praesertim paschæ, sive transitus die, dolet & sentit animam, quam ipse ad imaginem suam creaverat, conculcari in sanguine; animam, quam ipse pretiosissimè redemerat, conculcari in eodem, quo redempta est, sanguine; animam, quam praestantissimis gratiarum cimmelijs, tanquam sanguinis sui pretio exornaverat, conculcari in sanguine suo, & misericordiâ motus suavissimè eandem alloquitur: *in sanguine tuo vive*, imò in sanguine meo vive, *multiplicatam quasi germen agri dedit te*, formosam ex gratia, divitem ex meritis, foecundam ex charismatis feci te, at quamdiu hæc tibi pulchritudo constitit? & *transivi per te* & *vidi te*, transeunte pascha denuo consideravi te, *habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es in nomine tuo*, præfisa gratiæ & clementiæ meæ, præfisa viribus & propositis tuis *in nomine tuo fornicata es*, ob præfidentiam videlicet & temeritatem tuam periculis peccandi ultrò te exponendo. quid porrò post omnia expectandum est? *accidit post omnem malitiam tuam væ væ tibi*, ait Dominus Deus v. 23. non simplex væ, sed multiplex in eos fulminatur, qui acceptâ toties veniâ auditòque gratioso illo verbo: *vive*, in mortifera ultrò redeunt scelera, ut fiat supra modum peccans peccatum.

Gravitatem peccati inde dedit Tertullian' l. de poenit. c. 5. quòd recidivus manifestè dæmonem Deo præferat, cum utriusque jugum subierit, utriusque delicias degustarit,

Rom. 7. v.
13.

§. 6.
In recidivum
vos Deus
iram vel-
ut aquam
effundit.

Itarit, apud utrumque stipendia fecerit: *Nonne (quod dicere quoque periculosum est, sed ad ædificationem proferendum est) diabolus Domino præponit? ingeniosius adhuc Salvianus l. 4. de pœnit. gravitatem recidivæ defumit ex eo, quia relapsus ipsemet pœnitentiæ pœnitere videtur: taliter fermè omnia agunt, ut eos non tam pudeat pœnitentiam criminum antè egisse, quàm postea ipsius pœnitentiæ pœnitere: nec tam prius pœnituisse, quòd malè vixerint quàm postea, quòd promiserint se bene victuros, & hinc ira vehementissima spectæ iustitiæ consurgit. Facti sunt principes Judæ, quasi assumentes terminum Osee 5. v. 10. terminum ponit delictis suis pœnitens, cum peccata confitetur, ideòque principibus Judæ adnumeratur; Juda enim confessio interpretatur, Confessio autem principes & reges nos facit; non auferetur sceptrum de Juda; terminum, inquam, ponit delictis suis pœnitens, in quo cum denuò labitur, terminum illum suum: non plus ultra assumit, & in alia temporum spatia transponit. audiatur Theophylactus insignis prophetarum verborum interpres: quando verò quisque princeps Juda confessus fuerit ac promiserit, se non eisdem pravis studijs admoturum mentem, idque secum decreverit, & iterum transmoverit tales fines, ac decretum suum fecerit irritum ac reversus fuerit instar canis ad proprium vomitum, ira Dei super talem prorsus effunditur (subjungit enim Oseas: *super eos effundam, quasi aquam iram meam*) perinde ac rubi maris unda effunditur supra Pharaonem, quia sæpius fuerat mentitus. hæc Theophylactus. Effundit Deus iram in recidivos, sicut effudit in Ninivitas, quos post annos 69. à prædicatione Jonæ, per prophetam Nahum comoneri rur-*

sum fecit, cùmque obstinarentur in scelere, excitato terræ motu, effusus à deserto aquis, delapsisque cælo ignibus, ut docent Sancti Hieronymus, Epiphanius, Dorotheus, penitus submersit, ac consumpsit, Cujus everfionis præfagus Tobias senior ita Filium suum præmonuit c. 11. v. 6. *fili ego morior, post meam mortem in urbe hac nè remaneas. propè erit interitus Nini-ve, video enim quia iniquitas ejus finem dabit ei.* utinam idem à me super urbe hac repeti nunquam possit, sed jam finem faciamus dicendi.

Bernardi tonitrua & fulmina sub initium dictionis promisi, & orationem ejus paschalem in recidivos repetere statui, ubi māsit oratio: in coronidem dictionis meæ servavi, ut quidquid à me hæcenus dictum est, aut dici potuit, palàm constet à mellito Doctore brevius ac nervosius dictum fuisse. Loquere ergo Bernarde, imò tona, fulgura, fulmina adversus recidivos peccatores: Pascha, quod celebramus, transitus nō reditus interpretatur, & Galilæa, ubi videndus nobis promittitur, qui resurrexit, non remeationem sonat sed transmigrationem, quid nos dicimus, qui sacram Domini resurrectionem Paschæ privamus nomine, ut sit nobis in reditum magis, quàm in transitum? Luximus his diebus, compunctio- ni & orationi, gravitati & abstinentiæ dediti: cæterorum negligentias temporum sacro hoc quadragenario redimere & diluere cupientes. Communicavimus passionibus Christi: complantati ei denuò sumus per Baptismum quendam lachrymarum, pœnitentiæ confessionis. Si ergo mortui sumus peccato, quomodo vivemus adhuc in illo? si negligentias planximus, quid causæ est, ut recidamus nunc in easdem? inveniemur nunc, ite-

S. 7.
Inveſtiva
S. Bernar-
di elegantiſſima fer.
1. in die Pa-
schæ colu-
m. 168.
in med.

iterum curiosi ut antè, verbosi ut antè, pigri & negligentes ut antè:,,
 vani, suspiciosi, detractores, ira-,,
 cundi, cæterisque impliciti vitijs,,
 quæ tam anxie deploravimus his,,
 diebus. Lavi pedes meos: quo-,,
 modo iterum inquinabo eos? E-,,
 xui me tunicam meam: quomo-,,
 do induam eam? non est trans-,,
 migratio hæc fratres: non sic vide-,,
 bitur Christus, non hoc iter, quo,,
 ostendat nobis Deus salutare su-,,
 um. Denique qui retrò respicit,,
 indignus est regno Dei. sic amato-,,
 res sæculi, inimici crucis Christi,,
 cujus in vanum accepto nomine,,
 dicuntur Christiani, toto hoc tem-,,
 pore quadragesimali ad instantes,,
 inhiant dies resurrectionis, heu,,
 ut liberiùs indulgeant voluptati.Obnubilat fratres, solemnitatis,,
 lætitiã materia tristior: sed ipsi-,,
 us plangimus solemnitatis iniu-,,
 riam, quam dissimulare non pos-,,
 sumus, nec in ipsa; imò minùs,,
 in ipsa. Proh dolor, peccandi tem-
 pus, terminus recidendi facta est,
 resurrectio Salvatoris. Ex hoc,,
 nempe comeffationes & ebrieta-,,
 tes redeunt, cubilia & impudici-,,
 tiæ repetuntur: & laxantur con-,,
 cupiscentiis frena: quasi ad hoc sur-
 rexerit Christus, & non magis pro-,,
 pter justificationem nostram. Sic,,
 honoratis miseri Christum, quem,,
 suscepistis? Venturo parâstis ho-,,
 spitium confitentibus peccata cum,,
 gemitu: castigantes corpora, elee-,,
 mosynas impedentes; & ecce su-,,
 scepiunt proditis inimicis, imò e-,,
 xire compellit, priores nequitias
 admittendo. Neque enim co-,,
 habitatio esse potest luci ad tene-,,
 bras, Christi cum superbia, cum,,
 avaritia, cum ambitione, cum fra-,,
 terno odio, cum luxuria, cum,,
 fornicatione. Quid enim minus,,
 præsentem debetur, quàm venturo?,,
 Quid minus reverentiæ resurre-,,
 ctionis tempus exigit, quàm pas-,,
 sionis? sed vos (ut manifestum est),,
 neutram honoratis. Nam si com-,,
 pateremini & conregnaretis. Nunc,,
 autem ex sola consuetudine tem-,,
 poris & simulatione quadam hu-,,
 miliatio illa processit, quam non,,
 sequitur exultatio spiritualis. Pro-,,
 pter hoc, ut ait Apostolus, multi,,
 infirmi & imbecilles, & dormiunt,,
 multi. Propter hoc crebra in di-,,
 versis regionibus hominum mor-,,
 talitas, specialiter his diebus. Quid,,
 enim? deprehensi estis, inter an-,,
 gustias prævaricatores, non qui,,
 prævaricati estis sed qui persisti-,,
 tis in peccato, addentes,,
 prævaricationem, aut penitus,,
 impœnitentes, aut tepidè pœni-,,
 tentes: nec pericula fugientes,,
 vel post miseram experientiam in-,,
 centiva peccati. Irretivit vos ini-,,
 micus perplexis (ut ait scriptura),,
 verbis testicularum. Si hæc consci-,,
 entiã Christi sacramenta refugitis,,
 nihil vobis commune cum Chri-,,
 sto, non habetis vitam in vobis,,
 Ipsum audite dicentem: Nisi,,
 manducaveritis carnem filij ho-,,
 minis, & biberitis ejus sanguinem,,
 non habebitis vitam in vobis. Si,,
 indignè suscipitis, iudicium vo-,,
 bis manducatis, sanctum Domini,,
 non dijudicantes. Redite ergo,,
 prævaricatores ad cor, & in toto,,
 corde quærite Dominum & odi-,,
 te malum: pœnitentes non ver-,,
 bo tantum & linguâ, sed spiritu &,,
 veritate. Quia verò non satis ce-,,
 cidisse piget hominem (ut vide-,,
 tur) qui adhuc manere disponit,,
 in lubrico: aut errasse, qui ducem
 non querit: sit veræ compunctio-
 nis indicium, opportunitatis fuga,
 subtractio occasionis. Alioquin ti-
 mendum valde, nè dies ista (siqui-
 dem & ipsa posita est in ruinam,
 & resurrectionem multorum in
 Israël) reprobet vos, vel tanquam,,
 com-

manifestè alienos à Christo, Christo, non comunicantibus, vel tãquam socios Judæ, in quem intravit sathanas post buccellam.

Vos ergo charissimi si con- surrexistis cum Christo; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram: ut quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & vos in novitate vitæ ambuletis: ut à sæculari lætitia & consolatione mundi per, compunctionem & tristitiam, quæ, secundum Deum est, ad devotio-

nem sanctam, & spiritualement vos transire gaudeatis exultationam: ipso præstante, qui transivit ex hoc mundo ad patrem, & nos quoque trahere post se, & in Galilæam vocare dignatur, ut semetipsum nobis ostendat, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula Am.

* * *
* *
*

PHILIPPICA XXVII.

In Lucriones.

QVOS VULGO INTERESSATOS VOCANT
DOMINICA EADEM.

Nolite expavescere, Jesum quæritis Nazarenum Crucifixum
Matth. 16. v. 6.

S. I.
Cupiditas
lucris ferè
omnibus
comunitis



Andem aliquando in paschate invenio, quos per totum frustra inquisieram annum, homines, qui IESUM, & non se

quærent, propter IESUM potius quàm Lazarum accurrerent, benevolentia & non concupiscentia ferrentur affectu. Mulieres enim audio angelico commendari testimonio, quòd Iesum quærant, ungendoque sacro corpori aromata apportent, nullius cupidine lucris, folius amore Magistris; cum tamen de omnibus pronuntiet generatim

Philipp. 2.
v. 21.

Apostolus: *omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.* omnes ergo Christiani pariter ac Ethnici, Religiosi simul & Laici, sacri profanique lucro proprio inhiant. *omnes quæ sua sunt quærunt.* ergo neque pontifices & reges, sapientes & theo-

didacti ab hac cupiditate eximij? *omnes quæ sua sunt quærunt.* ergo & tu Apostole lucrum tuum inquiris? quæreres, reponit, si ego mihi viverem, sed *viro ego jam non ego, vivit verò in me Christus,* qui gratis per gratiam justificavit me, & docuit redamare gratis. Qui gratis amat, angelico dignissimus est solatio: *Nolite expavescere Iesum quæritis Nazarenum Crucifixum.* hæc enim summa est charitatis *amare gratis.* Qui sic amant, verissimum cum Iesu pascha celebrant & cum Paulo dicere habent: *viro ego jam non ego.* Qui sic amant, gloriosam expectent anastasin, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem. Verum quia gratis amantium rarissimus in terris est numerus, innumera verò eorum ubivis turba, qui, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi, contra hos festivissimâ
T hac